

## Prophetia Abdiæ

---

### **1 Visio Abdiæ.**

**Hæc dicit Dominus Deus ad Edom :**

**Auditum audivimus a Domino,**

**et legatum ad gentes misit :**

**surgite, et consurgamus adversus eum in prælium.**

**2 Ecce parvulum dedi te in gentibus :**

**contemptibilis tu es valde.**

**3 Superbia cordis tui extulit te,**

**habitantem in scissuris petrarum,**

**exaltantem solium tuum ;**

**qui dicis in corde tuo :**

**Quis detrahet me in terram ?**

**4 Si exaltatus fueris ut aquila,**

**et si inter sidera posueris nidum tuum,**

**inde detraham te, dicit Dominus.**

**5 Si fures introissent ad te,**

**si latrones per noctem,**

**quomodo conticuisses ?**

**nonne furati essent sufficientia sibi ?**

**Si vindemiatores introissent ad te,**

**numquid saltem racemum reliquissent tibi ?**

**6 Quomodo scrutati sunt Esau ;**

**investigaverunt abscondita ejus ?**

**7 Usque ad terminum emiserunt te :**

**omnes viri fœderis tui illuserunt tibi :**

**invaluerunt adversum te viri pacis tuæ,**

**qui comedunt tecum, ponent insidias subter te ;**

**non est prudentia in eo.**

**8 Numquid non in die illa, dicit Dominus,**

**perdam sapientes de Idumæa,**

**et prudentiam de monte Esau ?**

**9 Et timebunt fortes tui a meridie,**

**ut intereat vir de monte Esau.**

**10 Propter interfectionem,**

**et propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob,**

**operiet te confusio, et peribis in æternum.**

**11** In die cum stares adversus eum,  
quando capiebant alieni exercitum ejus,  
et extranei ingrediebantur portas ejus,  
et super Jerusalem mittebant sortem,  
tu quoque eras quasi unus ex eis.

**12** Et non despicias in die fratris tui,  
in die peregrinationis ejus :  
et non lætaberis super filios Juda  
in die perditionis eorum :  
et non magnificabis os tuum  
in die angustiae.

**13** Neque ingredieris portam populi mei  
in die ruinæ eorum ;  
neque despicias et tu in malis ejus  
in die vastitatis illius.  
Et non emitteris adversus exercitum ejus  
in die vastitatis illius,

**14** neque stabis in exitibus  
ut interficias eos qui fugerint,  
et non concludes reliquos ejus  
in die tribulationis.

**15** Quoniam juxta est dies Domini super omnes gentes :  
sicut fecisti, fiet tibi ;  
retributionem tuam convertet in caput tuum.

**16** Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum,  
bibent omnes gentes jugiter :  
et bibent, et absorbebunt,  
et erunt quasi non sint.

**17** Et in monte Sion erit salvatio, et erit sanctus ;  
et possidebit domus Jacob eos qui se possederant.

**18** Et erit domus Jacob ignis,  
et domus Joseph flamma,  
et domus Esau stipula :  
et succendentur in eis, et devorabunt eos,  
et non erunt reliquiae domus Esau,  
quia Dominus locutus est.

**19** Et hæreditabunt hi, qui ad austrum sunt, montem Esau,

**et qui in campestribus, Philistiim :  
et possidebunt regionem Ephraim et regionem Samariæ,  
et Benjamin possidebit Galaad.**

**20 Et transmigratio exercitus hujus filiorum Israël,  
omnia loca Chananæorum usque ad Sareptam :  
et transmigratio Jerusalem, quæ in Bosphoro est,  
possidebit civitates austri.**

**21 Et ascendent salvatores in montem Sion judicare  
montem Esau,  
et erit Domino regnum.**